

DE
COLONIIS A FRIDERICO II IN EOS AGROS DEDUCTIS, QUI IN PRIMA PARTITIONE REGNI POLONICI EI CESSERUNT.

PARS PRIMA.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

D. XIX. M. DECEMBR. A. MDCCCLXIII. HORA X.
IN AUDITORIO MAXIMO
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS BEHEIM-SCHWARZBACH
BEROLINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
MAURITIUS HEYNE, DR. PHIL.
THEODORUS BINDSEIL, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.

CARISSIMO PATRI

HAS LITERARUM STUDII PRIMITIAS

DEDICAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quam bene Fridericus, cognomine ornatus magni de regno toto et singulis provinciis meritus sit, permagna scriptorum copia docemur. Neque ullam in provinciam augendam et excolendam plus industriae et operae contulit quam in eam provinciam, quam prima Poloniae regni partitione regno adjunxit. Hanc provinciam, quum multis et variis causis in miserrimam conditionem pervenisset, praecipue autem, quum maxime idoneum propugnaculum Teutonicum ad Slavorum vim arcendam sibi esse videretur, praeter ceteras curandam esse persuasum habuit. Quae Fridericus bene perfecerit ad urbes hujus provinciae ornandas partim libris majoribus, partim singularibus et propriis scriptis, tabulis praestationum*) et libris, qui de fundis tractant**), et regionum descriptionibus Borussiae ad occidentem versus, partim aliis parvis operibus multi diligenter exposuerunt. Contentiones autem studiaque, quae in agros ipsos vicosque hujus provinciae Fridericus convertit maxima ex parte summatim explicata sunt, ita nihil nisi instituta singula, pecuniae copia, jura praecipua quibus vicos adjuvit nominentur, quamquam Friderico ut agricolis Bor. occ. auxilia praeberet, summae curae fuit. Ratus enim est, in bona agricultura et sapienti positum esse omne studium opusque hominum. Qua opinione ductus ex remotis regionibus multos colonos in suos fines vocavit, qui domiciliis paratis agros novarent atque colerent,

*) praestationstabellen. **) grundbücher.

ne hoc, quodcoe pisset, opus firmo fundamento careret. Quorum colonorum, praecipue agrestium historiam hoc libello componere constitutum habeo. Neque facile hoc est, quamvis haec materia levis esse videatur, quum quae de hac re scripta sunt, ea paucissima sint et exigua. Profecto jam in nominibus harum coloniarum solis explorandis inveniendisque, quas Fridericus advenis cultoribus condidit, in magnam difficultatem incurri, quod in actis tabulisque publicis urbium provinciae eximiarum, Gedani, Bidgostiae, Insulae Marianae in scriptis solis praestationum etc. significationes quaedam inveniuntur, quae rem accurate non exponunt.

Optimam et accuratissimam quidem materiam acta praebent secreti archivi collegii eorum, quos princeps socios et administros omnium consiliorum assumpsit, quibus maxime usus sum. Caput materiae inest in singulis indicibus, quos Fridericus sibi ipse praeberi jubebat, eo consilio, ut indicarent per singula semestria res et domicilia colonorum, qui re vera immigrassent. Quibus indicibus fidem haberi posse sine dubio affirmo, praesertim quum omnia, quae in actis illarum, quas supra dixi, urbium et locis ipsis inveni, omnino cum illis consentiant. De his colonis ut copiose atque accurate scribere possem, eos per singulas visi colonias, postquam tabulis illis publicis urbium ut Gedani etc. paucas colonias exploravi. Locis autem ipsis undique cognovi homines optime sibi conscios esse coloniarum ante deductarum, quorum alia ad alios colonias habitantes iter mihi monstrabant. Quemadmodum fere omnes insignes visi colonias et ex his fontibus hic libellus praecipue est profectus.

PARS PRIMA.*)

CAPUT I.

Quaecunque Friedericus II. in Polonica provincia fecerit, summatim demonstretur.

Jam primum omnium satis notum est, regnum Polonicum variis intestinarum turbarum ac seditionum procellis miserrime afflictum a finitimis tandem principibus ter partitum et ita plane dissolutum in varios titulos et dominia dispersum esse. In illa autem partitione regni Polonici, quae prima facta contigit anno 1772 septingenta milliaria Germanica seu quadrata una cum nongentis millibus hominum Friderico II. Borussorum regi cesserunt, quum Russiae 2200 milliaria atque Austriae circiter 1600 milliaria terrae assignarentur, ita ut Polonis 9057 milliaria relinquerentur. Singulae terrae partes, quae illo tempore in ditionem regis redactae sunt, hae erant: Prussia Polonica, quam hodie Prussiam occidentalem dicimus, praeter oppida Gedanum ac Thorunium, quae cum maxime petita essent a rege, magno ejus dolore Polonis relicta fuisse traduntur, porro Varmia, nunc Prussiae orientali adnexa et totus ille tractus, qui a Nezza potiori regionis flumine tractus Nezzavius, germ. „Netzedistrict" denominatur et nunc praecipuam magni ducatus seu „provinciae Posnaniensis" efficit. Ceterum Fridericus Magnus, prius quam haec partitio regni Polonici ad effectum adduceretur, cogitationes salutis et fortunae recens acquirendae terrae jam dies ac noctes secum agitaverat. Rex enim, ineunte vere anni 1772 ex recensu exercitus juxta Stargardiam habito rediens — accidit jam ante partitionem factam — concilia et rationes

*) Alteram partem quae a, Suevorum colonias b, eventus coloniarum a Friderico II deductarum tractat, hic ommissam, una cum parte prima suo tempore germanica lingua vulgaturus sum.

suas novae provinciae administrandae cum Schoenbergio de Brenkenhofio*) consiliario bellico et dominiorum praefecto, viro prudentissimo, Bidgostiae justo fusius communicarat, eique provinciae occupandae, quae brevi tempore instabat, potestatem detulerat.

Mense Septembri a. 1772 Brenkenhofius, stipatus tantum signifero et agmine XII equitum levis armaturae, mandata regis exsecutus est. Illa terrae occupatio quemadmodum uerit peracta a Brenkenhofio accurate est observandum, idque ideo, quoniam de terminis contentiones inter Prussiam ac Poloniam excitatae sunt, quibus tandem a. 1776 finis impositus est. Brenkenhofius enim, cui mandatum erat, ut Nezzam flumen ejusque ripas limitibus clauderet, nobilis feminae de Skorzewska, quae quum Friderici commodis addictissima esset, bonis suis in Polonia sitis, haud temere timebat, precibus est adductus ut limites prius destinati non apud vicum Rynarczewo constituerentur, sed bona feminae de Skorzewska transirent, quo factum ut etiam bona, quae Luboczinensia et Borozinensia vocantur, sicuti fundi Hollandici juxta vicum Koczkowo siti, regiones a duobus circiter millibus familiarum e Germania ortis habitatae his novis limitibus intercluderentur et ultimi fines prope oppidulum Szulec germ. Schulitz ponerentur. Istam finium propagationem sola Brenkenhofii auctoritate factam rex non modo non improbavit sed et ipse jussit mense Februarii a. 1773 limites iterum clam proferri, qua altera finium propagatione regnum Prussicum 15 oppidis 516 vicis et numero 16812 hominum crevit. Anno 1774 Fridericus invenit, Nezzae fluminis originem esse juxta monasterium Komodellen, hoc est extra Sempolno, quia igitur ex pacto partitionis constituto totus fluvius cum ripis suis regi assignatus erat, inde secutum est (jure an injuria jam non disputo) ut Prussici regni fines a capite fluminis ponerentur ut denuo 13 oppida 350 vici et 18179 millia hominum in regis potestatem venirent.

Occupatis igitur, quas praediximus, terris, rex putavit eas in immensum efferatas et fere barbaras factas ab ista feritate moribus institutisque ad Teutonicae disciplinae atque

*) Brenkenhofii vitam descripsit Fr. Meissner. Lipsiae 1782, pag. 110 seq.

culturae formam itaque ad meliorem vitae cultum perducendas esse. Et profecto istae regiones nec victricibus armis nec cruentis victoriis expugnatae, sunt inter multa ac varia dona, quae Germania regi debet, optima et faustissima*). Nam Prussia illa Polonica, quae olim post longa et gravissima bella inter ordinem Teutonicum et Polonos gesta tandem in Polonicae reipublicae corpus concessit atque in temporum decursu primae Teutonicae culturae ac disciplinae potuit non penitus oblivisci, nunc inter Pomeraniam et Marchiam et Prussiam orientalem, cujus incolae in hunc usque diem terram a reliqua Europa separatam et fere incognitam habitarunt, liberam commeandi et frequentandi copiam praebet. Fridericus igitur non solum suo populo sed etiam et toti Germaniae et reliquae Europae novas regiones spectantes in orientem solem aperuit, quibus jura, leges moresque dedit et quum incolas in partem libertatis atque imperii vocasset, eam demum humanitatem eosque spiritus afflavit, quibus nunc fruuntur. At vero ut provida mater exercet laborem quum parvulum suum lavat, purgat, vestit, in ordinem et disciplinam cogit semperque in oculis habet, sic Fridericus magno labore intendit, ut alienigenae soboli in regno suo novum domicilium novamque patriam pararet. Et quia eventus exspectationibus suis respondebat nunc alumnum nimia indulgentia corrupit, et saepe in eos, qui consilia sua studiis adjutarunt, graviter consuluit.

Inprimis statim principalibus curis regi fuerunt, ut loco legum negligentiae ac perturbationis, quae ad illum diem fuerant, jurisdictio illa accurata severaque, qua reliquum Prussicum regnum jamdudum fruebatur, introduceretur. Novus civis statim in fidem reipublicae ac legum recipitur, tollitur ante omnia servitus, praestationes illae, quae vulgo „robotten" nominantur et angariarum exhibitiones (hof und frohndienst) levantur et fundorum possessiones commentariis hypothecarum institutis firmantur. Rex, cujus admirabilis vox satis cognita est, se non sibi sed reipublicae vivere debere, in his rebus, quae ad colonicas spectabant, perficiendis

*) Vide Gustav Freitag: Neue bilder aus dem leben des deutsch. volkes. p. 397 seq.

eximium campum, in quo industria ejus et agendi cupiditas excurreret et exerceretur, invenit.

Praecipue ejus consilium erat, ut incultum solum coleretur et summa ars ejus politica, ut novi incolae vita et moribus in Germanorum disciplinam transformarentur, quod studium Poloni per ironiam vocabulo nove excogitato „germanisiren“ significarunt. Bene cognovit rex soli bonitatem et fertilitatem intellexitque se facturum operae esse pretium, si palustria et reliqua inculta loca in amoenissima prata et late glebosos agros mutasset et his in regionibus ex feritate ereptis suo sumptu vicos et diversi generis aedificationes condidisset. Et re vera inter omnia opera, quae a rege suscepta sunt ut terras suas in meliorem statum referret, haec incepta prospere successerunt; quare nunquam rex magnus melius sensa mentis suae verbis expressisse mihi videtur quam quae dixerat, oculos convertens ab aggere fluminis ad fertilissimos campos: Sane provinciam expugnavi!

Magna est rerum varietas et varia sunt adjumenta, quibus Fridericus ad hanc provinciam Polonicam augendam usus est et infatigabilem ejus curam testantur. Quum pleraque terrae oppida tristibus ruinis similia et viribus exhausta et mercatura vacua conspexisset, decretum est, ne inprimis 12 annis ab iis urbibus illud vectigal, quod tunc temporis „Regie“ vocatum est, solveretur, neve ibi delectus haberentur ut omnibus locis, novis coloniis eo deducendis novus animi vigor, novus vitae propagandae amor excitaretur. Novae aedes, saxis extructae, inprimis multae regiae aedificatae sunt, quo factum ut pecunia dissiparetur; vetustae autem pecuniis, sub titulo: „städtische bauhofsgelder“ concessis ex praescripto restauratae sunt. Etiam decretum est, ut provincia collegio camerae non subjicerentur, propterea quod rex ipse eam administrare voluit. Ipse hoc cum novo populo agere et directe regendi viam et rationem inire instituit. Neque rex in eo reprehendi potest, quod quum jam grandior natu esset, consilia et coepta sua, quae ad res colonicas pertinebant, maturavit, et id, quod ingenii vis et sollertia excogitarat, oculis suis adhuc inspicere cupivit. In dominiis suis novos cos condidit eosque recens migrantibus colonis frequenta-

vit; inter provinciae nobilitatem magnam pecuniam divisit, cum donum, tum mutuam pecuniam datam sine usuris in longum tempus ut bona sua in meliorem culturae statum perducerent et studio suo ad imitandum incitarentur. Rusticum donis atque praemiis omnis generis affecit, si quis oviaria et equaria, ut illis temporibus invaluit, aut diligentia et prudentia aut aliis rusticanis virtutibus excelluerat; unicuique studio compensatio quaedam fuit. Ex Hispania arietes adducti sunt ad oviariam hujus terrae nobilitandam; ex Anglia ovium advectio jam difficilior erat, quoniam eum, qui in clandestina exportatione unius tantum ovis deprehensus est, hac poena affecerunt, ut in malo suspenderetur. Bona equorum genera ex Dessavia arcessita sunt, nova semina, mutationes in agris colendis a Friderico ipso ad minimum ordinatae sunt, quin adeo meliores apparatus ad butyrum et caseum conficiendum de cultura graminum pabularium ut lupinorum, medicaginis sativae, viciae sativae, ericae, de lupi et lini cultura, de vitibus, inprimis de piscatura multis in mandatis ipsius regis diligentissime scriptum est. Rem metallicam, curam de officinis metallicis atque administrationem saltuum Waitzius Dessaviensis, liber baro de Eschen-Xassus et Heinitzius Saxo prudentissimi et laudatissimi viri gubernarunt. Magna frumenti receptacula posita sunt, ut fami et annonae essent suffugia: etiam horrea militaria et rustica aderant; sed illa frumenti exportandi vetita haud bene excogitata erant, quia his consiliis annonae temporibus pretium frumenti semper auctum est. — Ad mercaturam atque industriam elevandam omnibus locis fabricae institutae sunt, quarum possessores a rege ipso excitati et saepe rebus, quae memoratu vix dignae adjuti sunt. Liberae nundinae Bidgostiae ordinatae, spectarunt, ut mercatores Berolinenses, Sedinenses et ex aliis Marchiae regionibus eo illicerent ad merces cum Polonis permutandas. Ceterum rex, ut paucis verbis dicamus, studiosissime intendit, ut mercaturae frequentiam et celebritatem in Nezza flumine redderet et omnes terrae Polonicae fructus, ut cera, coria, lana in suam provinciam importarentur et hic confecti in Poloniam redirent. Studia ejus ac labores pariter magna et gravia erant ut oppida et rura crescerent, putavitque haec impetrari posse, si

quam fieri posset, opificia fabricas, officinas operum manu factorum et mercaturam compararet oppidanis, rusticis autem curam agrorum suorum permitteret, propterea quod plurima Polonica oppidula hac ex causa miserrime eversa erant, quia incolae eorum agellum tantum possidentes ex illo sibi et familiis suis victum petebant, sed vix credibili inertiae deditì neque de hoc colendo neque de aliis ad victum necessariis rebus quid curarunt; itaque non mirum est, mercatura atque industria jam dudum interrupta homines istos ad extremum inopiae venisse; cûjus rei plura testimonia apud rerum scriptores habemus, tantam penuriam, tantam miseriam tandem comitati sunt mortiferi morbi, quapropter a Friederico medici maxime chirurgi in hanc provinciam gregatim missi sunt. Etiam ingenii cultura horum novorum regis imperio subjectorum praecipuae Friderico curae fuit et sane majorem, si cum reliquis provinciis comprobaveris, status, in quo res scholastica ibi versata est, tantam curam probavit. In reliquis enim provinciis, haud scio an fallor, parsimoniae causa ludi-magistri rusticani ad munus scholasticum admoti sunt, qui minimum instutionis pretium posidebant, rudes, inculti, ineruditi, saepe inhonesti homines, plerumque coacti ut gregibus pascendis et sartoria arte exercenda ad vivendum necessaria sibi pararent. Istis hominibus igitur scholasticum munus tantum secundarium fuit, quod tempore aestatis omnino non exercebatur, atque hieme ab illo comparatum est penes quem licitatio minima fuit. Nunc concionatibus quidem summa scholarum cura commissa erat, sed haec res nullius momenti fuit. Postea praescriptum scholasticum (Schulreglement) quidem elaboratum propositum est, sed annuum pretium disciplinae constitutum idem permansit. Quapropter etiam veteres homines plerumque invalidi homines ut antea muneri scholastico praefuerunt. At in hanc novam provinciam magnus ludimagistrorum grex a Semlero viro venerando bene instructorum numero 60 missus est. Comes de Hoym, vir rerum publicarum gerendarum primarius, 44 Romanae ecclesiae addictos et e Germania ortos misit magistros et Episcopus Varmiensis 83, qui, ut illi, fidei catholicae addicti, sed e Polonia oriundi fuerunt, quorum unusquisque salarium annuum tum temporis non contemnendum 60 imperalium et

insuper agellum hortensem accepit. „Vera laetitia afficimur, dicit Preuss*), Friderici magni vitae et rerum gestarum scriptor diligentissimus et laude maxime dignus, vera dico, si in documentis in singulis fere paginis legimus, quam curam posuerit rex in rebus scholasticis, quam studiose intenderit juris humani intellectum inter populum incitare et saluti posteritatis servire.“ Quae quum ita sint, Fridericus sibi constans, etiam his novis civibus liberum de rebus divinis judicium statim permisit et ecclesiarum exaedificationes ab evangelicis pagis qui nunc libere respirarunt et saepe propria regis pecunia adjuti. Mox in oppidis Schneidemühl, Flatow, Zempelburg, Vandsburg, Lobsens fastigia templorum.

Omnibus erat potestas parandi, agendi, consulendi commodis aliorum praeter Judaeos, a quibus rex, alioquin hominum in rebus divinis opiniones et sententias leniter ferens, averso erat animo.

Scriptor ille, qui supra memoratus est, his verbis designat: „den juden war er eben nicht importirt.“ Severis legibus, ut in aliis regnis continebantur et confestim hac provincia occupata, sunt quatuor millia eorum exterminata. Ruri esse Judaeis omnino non erat concessum; ad Prussiam orientalem iis aditus plane interclusi erant exceptis oppidis, quae centesimam rerum venalium (Accise) pensitarunt. Circa annum 1772 enumerantur in tabulis publicis episcopatus Varmiensis inter 95933 homines duo tantum Judaei; in Palatinatu Marienburgensi inter 83401 homines 128, in Pomerellia inter 139162 homines 2629 atque in Culmensi ac Michaloviensi inter 96455 homines 848 Judaei et tamen rex ipse istos Judaeos saltem divites ad diversa negotia conficienda convertit, ut iis, quod jam supra memoravimus, imperatum erat, ut mercaturae celebritatem et frequentiam Gedano, quae urbs illo tempore, quod sane dolendum, in ditione Polonorum erat, detraherent, ideoque incolae in suburbiis Gedanensibus collocati sunt. Aliis rebus, inprimis indole ac natura, rex iis non satis confisus est, quapropter transitum eorum in ecclesiam evangelicam prohibuit, quippe qui, ut rex ipse dixit, lucri causa ducti doctrinam Christianam profiterentur. Sed haec obiter.

*) Lib. IV, p. 63.

„Eodem tempore etiam regiones dividuntur*) in circulos minores, universi fundi parvo intermisso temporis spatio aestimatu iisque eadem vectigalia imponuntur; unusquisque circulus praeter consiliarum provincialem (landrat), judicibus, re veredaria et publicae valetudinis cura ornatur. Undique foditur, consonant mallei ictus, aedificatur; in vacuis oppidis homines collocantur, aedes ex ruinis exsurgunt, continuae viae muniuntur, Starostiae in praedia regia mutantur.“ unumquodque fere oppidum, unusquisque vicus, unumquodque milliarium Friderico curae fuit, quo circumspicias, undique impigros tantum homines adspexeris. Itaque rex magnus jam exeunte anno 1773 in epistola ad Voltarium data de se ipso gloriari potuit: „ich habe die sclaverei abgeschafft, barbarische gesetze reformirt, vernünftige in gang gebracht, einen canal eröffnet, der die weichsel, brahe, netze, warthe, oder, elbe verbindet, städte wieder aufgebaut, die seit der pest 1709 zerstört gewesen, 20 meilen moräste trocken gelegt und eine polizei eingeführt, die diesem lande selbst dem namen nach unbekannt war.“

Canalis ille, cujus Fridericus hac in epistola mentionem fecit, est sane magnum opus, quod rex vera gloria de se praedicare potuit. Praecipuum Brenkenhofii meritum est, quod regem ad hoc opus capiendum permovit. Recensu illo exercitus prope Stargardiam habito, qui, ut jam demonstravimus, regni Polonici partitioni antecessit, rex interrogavit Brenkenhofium inter alia, num putet, Viadrum et Vistulam fluvios inter se consociari posse? Tum Brenkenhofius respondit, talem juncturam effici posse simulque regi rationem aedificii accuratissime descripsit. Brenkenhofius enim paulo ante compererat, privatum quendam hominem, cui nomen erat Malachowski, periculum quondam fecisse, Nezzam cum Braha fluvio conjungere, sed ob pecuniae inopiam et artis technicae imperitiam hoc incepto destitisse. At Jaweinius quidam Ruegenwaldensis, qui unus ex technicis erat, hanc rem ad artis technicae praecepta diligentius expenderat, inveneratque eam conjunctionem perfici posse, quippe qui speculum Nezzae fluvii pedes 63 et digitum unum altius situm esset

*) Vide: G. Freytag.

quam illud Brahae fluvii. Jam de 29 M. Martii a. 1772 respondit Fridericus ad Brenkenhofii propositum:

„ich habe euch vor die mir mit eurem berichte den 27. d. M. gegebenen nachricht von Pomerellen und den strich Landes diesseits der Netze und wovon ich ungemein zufrieden bin, hierdurch danken und euch darauf in antwort zu eurer direction im vertrauen nur so viel melden wollen, wie ich schon dieses jahr mit der anlegung des euch bewussten canals den anfang machen zu lassen intentioniret bin, ihr also euren vorläufigen überschlag wohl machen und auf wie hoch sich solcher wohl belaufen würde, mir anzeigen könnt.“ Ineunte M. Maio Brenkenhofius ipse Postampii impensas canalis exstruendi regi consummavit, quae efficiebant 231180 imperiales et 16 grossos. Jawainus Hanianus publicis operitus curandis praefectus novae Marchiae et Dornsteinius publicorum aedificiorum inspector in oppido Mühlrose jussi sunt, canalem exstruendum administrare. Ut opus celerius perficeretur, coactus est Brenkenhofius operas quantocunque pretio conducere eosque e Saxonia, Anhaltino, Bohoemia, Thuringia, ubi tum temporis fames erat, arcessere.

Multa ligna in Braha fluvio et in locis desertis Starostiae Tuchelianae per Zabeltitzium, summum excubiarum praefectum occupata sunt. Sex millia operarum intenta erant operi illudque diem et noctem continuabant. Incredibili, nimia fere dixerim festinatione totum opus ad finem adductum est, quamquam Brenkenhofius multa contra attulit, qui omnia prudenter considerans, cataractas saxis exstructas postulabat et ante omnia operarum valetudini parcere volebat, quippe qui brachiis tenus in frigida atque insana aqua perpetuo stantes gravibus morbis afficerentur. At rex tam tardi progressus, quo ejusmodi aedificia vulgo exstrui solent, impatientissimus, maturavit opus tum cohortando tum exprobrando ne quod tempus ab opere intermitteretur; inde factum est ut canalis structurae vix interjectis XVI mensibus, sumptu 739956 imperialium — exceptis lignis, quae ex locis desertis Tuchelianae regionis desumpta erant — finis imponeretur. Canalis in longitudinem habet decempedas 6924, in latitudinem decempedas quinque et in altitudinem pedes tres cum dimidia parte; navigiis vehitur, quae ad Viadrum navigandum facta sunt, et hanc ob

causam navigia Viadrina (oderkähne) vocantur. Ista navigia aedificari debent longa pedum centum et viginti quatuor relata peduum 13 cum dimidia parte et alta pedum duorum et digitorum 10, onere ponderum centenariorum 766 portant. Fridericus jam aestate a. 1773 navigia Viadrina onusta cursum ad Vistulam dirigere satisfactione quadam conspexit. Anno 1775 jam 222 naves et 1151 rates ex trabibus confectae per canalem vehuntur et a. 1834 plus 500 navigia omnibus necessitatibus, quae belli usus poscunt, onusta, sale, frumento, aliis mercibus. Propter hunc canalem etiam Nezza fluvius ab oppido Driesen usque ad oppidum Nakel navigabilis factus est; commodum, quod canalis attulit, continuo se ostendit, quippe qui multi praediorum possessores hujus regionis venditione lignorum et uberrimo ac quaestuosissimo cibariorum potuumque mercatu jam millia imperialium sibi pararent et alii exitu aquarum, quem canalis effecit, agros suos adhuc incultos colere possent.

Ut Poloni novae provinciae a Polonis avocarentur et animos eorum militiae conciliarentur, Fridericus Culmae seminarium generosae militiae (kadettenhaus) exstruxit, in quod 56 nobiles pueri recepti sunt. In insula fluviatica, quae germ. vocatur: „die grabauer insel“ prope Marianam insulam (Marienwerder) sita castelli aedificatio incepta est, sed minus prospere gesta est ob rapidum cursum Vistulae, quapropter postea Graudentinum munitum est, cujus heroica defensio a. 1807 sub ductu et auspicio senis generalis excubiarum praefecti de Courbière, ingentis spiritus viri in omnium mentibus et sermonibus semper haerebit. — Praeterea valetudinaria, receptacula, portus et multa alia ejusmodi aedificia exstruuntur, ut essent testamina illis aquarum inundationibus, a quibus Prussia occidentalis quotannis fere gravissime vexata est. Ad id a Friderico ab annis 1774—1786 dati sunt 404600 imperiales et in aliis calamitatibus sunt consumpti 203800 imperiales et multa decies centena millia imperialium rex fere parcus custos in magna instituta et communis omnium utilitates et vitae domesticae singulorum hominum contulit; sed tamen his impensis accuratissimam rationem acceptorum et datorum poposcit ille bonus ratiocinator.

CAPUT II.

De Coloniis.

Quam magna Friderici merita fuerint de illa provincia, quae olim in Polonicae reipublicae corpus concesserat, jam nunc satis dictum est. Aggrediamur igitur ad illarum coloniarum res ac conditiones describendas, quae sub auspiciis regis in hanc provinciam deductae sunt. Fridericum ipsum his coloniis deducendis in eam provinciam praefuisse jam obiter memoravimus. At vero rex, magno quodam studio vitae et saluti colonorum aliegenarum consuluit. Eos deduxit in sedes futuras, cibum potumque iis praebuit, attribuit iis viaticum, et preces eorum ab eo semper auditae sunt etsi nunquam partium studio ductus fuit, colonis semper studuit. Rex enim novae terrae asperitatem atque feritatem satis pernovis intellexitque has res in melius mutandas esse, sed rusticum Polonicum haud aptum hominem esse, qui continuo ad haec perficienda adhiberi posset, idque ideo, quoniam Fridericus Guilelmus ipse rex ille severus ab isto homine ne culturam quidem solani tuberosi quam summa vi petiverat, spretis omnibus corporis castigationibus, expresserat, aliquanto post imigrantes Salisburgenses huic culturae sponte operam suam navarunt. Itaque Fridericus maximum fore adjumentum putavit ad agriculturam promovendam, si Germani ac Poloni in unius populi corpus coalescerent; et si Poloni etiam laboriosi homines fuissent, si regi non opus fuisset conqueri Polonicam illam curam rei familiaris atque imperitiam rei rusticae exercendae, ut seminis dispergendi, si non credidisset Germanos in terram invitandos esse ut Polonis in opere faciundo praeirent, ei adhuc alia causa fuit, quam prius jam dicendo enuntiarat „Polonum ad Teutonicam consuetudinem morum et vitae rationem perducendum esse," quod effici posset si ad scholas oppidanorum et rusticorum ludimagistros Germanos admoti essent et Poloni cum Germanis omnibus modis in unum confusi essent. — Ubi vero Fridericus illis Teutonicis colonis, verae ac firmae columnae consiliorum ac rationum suarum quibus feram inhospitalemque terram ad Teutonicae disciplinae formam perducere vellet, sedes assignavit, dictu haud difficile est. Omnibus fere locis, in singulis op-

pidis, vicis, pagis, dominiis immigrantes collocati sunt; tota provincia ante hoc tempus vacua occursu hominum, nunc frequentata est hominibus, recentes vires ad solum incultum subigendum terrae adductae sunt, quae a rege per oppida et agros sapienter divisae sunt prout singulorum utilitas et locorum necessitas postulavit. Prope ad majorem numerum vere polita pars ex iis constabat, qui non peregre venerant in provinciam, sed administri regis, viri prudentes et judicio suo semper utentes, quibus magna gratia habenda ac novus provinciae cultus adscribendus est, nam sic existimo, quamvis maxima regis merita de universa provinciae cultura sint, illam tamen praecipue viris illis adscribendam esse, neque unquam in hac provincia tam laetas segetes agere potuisse, nisi rex in perficiendis consiliis suis eos viros nactus esset. Studiis ac laboribus eorum ista terra ex vetere languore ad novam vitam et juventae vigorem excitata est. Neque sub jugo modo sudarunt post se minitantem regem timentes, sed ipsi huc et illuc circumspectantes etiam laetitiam perceperunt. ex studiis suis, haud dissimilibus fossorum operibus, summa ope enitentes ut ex terrae solitudine et vastitate pura metalla conficerent. Alterum genus politorum hominum est, qui in terram migrarunt, et intelligentes operarii et rusticani coloni saltem ejusmodi sunt, Suevici coloni non solum altiore scholastica disciplina et intelligentia ornati, quam ibi habitantes Poloni et alii rustici et ipsi Germanici rustici, ut mox videbimus. Si colonorum nomina in tabulas publicas relata perlegimus, rursus observabimus Fridericum sibi constantem consiliis suis oeconomicis operis et mercatoribus, omnino negotiatoribus, plerumque oppida aperuisse ut iis essent campus late patens lucri faciendi et peritiae ad promovendam ac propagandam industriam. Agricolae graves quidem sed praemio junctos labores attribuit in palustribus aut in arida levique arena, in densis silvis aut in desertis et arboribus vacuis prope majora et minora oppida sitis aut in regionibus a cultu hominum remotissimis. Catervis numero ad centum ad provinciam adventantibus, quae omnes affinitatis vinculis inter se conjunctae et ex uno loco Suevicae terrae oriundae erant, recens conditi vici ad habitandum instructi erant, aut singulis cum conjugibus et liberis miserae casae, quae sermonis usu Polonorum „pust-

kowien“ appellantur, media in silva aut in lato vastoque campo sitae concessae sunt. Rex consilia sua cum terram colere tum maxime Polonicos incolas Teutonicis moribus legibus institutis assuescere plerumque consociavit. Oppida, sola a Polonis habitata, ubi etiam nunc mos est nobilibus vestem illam adstrictiorem Polonicam (schnürrock) et vulgare illud tegmen capitis, quod Poloni „czapkam“ vocant, gerere et rusticis lineam vestem caerulei coloris et eorum feminis brevem taeniam rubram capiti circumvolutam sibi induere, maxime curavit, ut in iis Teutonici coloni et opifices collocarentur. Recens conditi vici a rege libentissime constituti sunt media inter Polonica tuguria, quae ex luteo facta jam vetustate sublapsa erant quod volebat ut ex illis ruinis, ex illo stupore Polonorum nova vita ad Germancorum diligentiam, intelligentiam, animorum alacritatem et mores atque indoles redacta efflorescere. Sed Fridericus provincia occupata salutiferis consiliis colonicis, quae de provincia animo conceperat, multa jam bene praeparata invenit. Nam saeculo decimo tertio ordo equester Teutonicus qui et ordo sacer militum Germanicorum et Mariani et equites cruciferi et milites domus hospitalis in Hierosolyma appellantur Vistulanam terram seu Prussiam intrarunt, una cum iis venerabiles monachi, nobiles Teutonici, mercatores et multi alii Germanici coloni cum uxoribus et liberis a quibus oppida condita et inculti agri culti sunt. Quo factum est ut multa majora et minora oppida Teutonica, ut multi Germanici pagi totam terram dispersa essent. Etiam monasteria Cisterciensis ordinis, inprimis monasterium Pelplinense ad Germanicam vitam et culturam in terra propagandam multum contulerunt. Sic brevi ab anno circiter MCCXXXI rara armorum felicitate, Borussia neque ad mare Balthicum et Litvaniae fines, priscis incolis, non laudando instituto, extinctis partim, partim in miseram servitutem pariter et Christiana sacra vi adactis in terrae germanicae formam transmutata est. Pari successu Gedanum cum vicina Pomerellia trans Vistulam occasum versus Poloniae regibus, versus orientem Samogitia Lithvanis erepta est. Quo et Polonorum et Litvanorum perpetua fere odia in ordinem sunt concitata. Sed in temporum decursu impotens dominatus cruciferorum animos incolarum usque adeo ab iis abalienavit, ut omnis nobilitas

urbesque Borussiae foedere mutuo anno MCCCCXL adversus ordinis vim se munierint. Tum anno MCCCCLIV nobilis plerique oppidaque, renunciato ordinis magistro fidelitatis sacramento, Casimiro III. regi Poloniae sese suaque in fidem obtulerunt et a rege ac proceribus Polonicis in societatem regni recepti sunt. Per tredecim annos quum adversa fortuna fortiter pugnarunt quidem cruciferi, sed et ipsi tandem certis conditionibus in sacramentum et fidem Poloniae regem et regni dederunt. Prussia occidentalis ante Prussia Polonica dicta ab illo tempore usque ad primam divisionem regni Polonici in ditione reipublicae Polonicae permansit.

Aliquanto post Christianae doctrinae atque ecclesiae emendatio per Lutherum inter Germanos et Polonos tam altas radices hic egerat, ut in Pomerellia anno circiter 1590 ex centum ecclesiacticis 70 evangelicae numeratae sunt. Postea nobilitas Prussiae Polonicae Polonorum vitam mores linguam ipsam patienter aecepit et ad ecclesiam catholicam transiit, dum oppidani et rustici in ecclesia evangelica con stanter permanent, ideoque errore fanatico et odio proprio Polonorum tam multas et magnas vexationes patiebantur, ut verbis vix dici posset. Isti Germani Germanico more assidue impigreque rei rusticae operam dederant operatique eran et simplicem quietam laetamque vitam inter se degerant ett hac ratione nonnulla sibi collegerant, quapropter pecuniam futuro usui reservatam quotannis omittere aut nummos clam in horto defodere potuerunt.

Sed ante omnes quieti prudentes laboricsi Mennonitae regi in opere faciundo praeierant. Ex Hollandia ob doctrinam sacram ejecti exterminatique jam ab anno 1550—1565 in Elbigensi terra consederant, ubi agris colendis et aquis derivandis quae agro colendo erant damnosae salubrem vim habuerant *). Quin adeo Polonorum animos, qui alioquin

*) Domicilia Mennonitarum e vetere memoria sunt:

A. in regione Thiegenhofii: Platenhof, Thiegenhagen, Tiegerweide, Reimerswalde, Orlofferfeld, Putgendorf, Orloff, Pietzgendorf, Petershagenerfeld.

B. in magna insula Mariana: Heubuden, Gurken, Herrenhagen.

C. in parva insula (Kleinwerder): Kampenau, Schwansdorf, Hohenwalde, Tiensdorf, Balau, Marcushof, Wengeln, Eichenhorst, Alt-Rosengart, Rosenort, Reichshorst, Sorgenhorst, Kukuk, Kronnest, Sparrau, Schönwiese.

omnes non iisdem sacris addictos furore quodam exagitabant, affabilitate modestia atque indefessa industria ita sibi conciliaverant, ut illis jura expetita inprimis militiae vacationem libenter concederent. Etiam noster Fridericus qui ejusmodi homines terrae servare cupiebat iis tabulis publicis (29. Men. Mart. 1780) datis vacationem militiae solvendo tributo anno 5000 imperialium in omne tempus promisit. Regnante Friderico sunt anno 1774: 13495 Mennonitae numerati, qui in Prussia occidentali 2177 hubas possidebant. Hoc novissimo tempore nonnulli ad regiminis supremi collegium rogationes tulerunt, quae acceptae civitatem diligentissimis hominibus privarent, qui, quamvis mirabilem doctrinam sacram proferant, doctrinam tamen Christianum ad usum vitae aptant. Istae rogationes enim incusserant his pacis studiosis, omnes libentius sine tumultu sedibus suis discedere cupiunt, et agris suis relictis, quos neque vendere neque emtione augere iis concessum est, in loca deserta Russiae cum uxoribus liberisque demigrare, id quod permulti jam fecerunt quam ut stipendia facerent et bombardam (gewehr) sumerent, quod doctrina sacra eorum vetitum est. His propriam naturam atque indolem sequentibus hominibus illis germanicis, a patria religione vita moribus haud desciscentibus et his placide agentibus, sed vi ac vigore plenis Mennonitis debet Fridericus magnus, gens Prussica germanica natio terram exsiccatam, agrorum cultum et arationes ac pariter illam naturam et voluntatis morumque disciplinam slavicae negligentiae et levitati oppositam. Quae quum ita sint, sub Friderico II unusquisque locus novos colonos excepit, ea autem loca maxime, quorum situs geographicus ut Germanorum coloniis frequentarentur, optabilis fecit; et quoniam terrae iis recentibus viribus opus erat, Fridericus plane novos vicos et alias vicanas colonias constituit, quas Germani „Neusassereien" appellant. Hae coloniae in Polonicam terram deductae, ut consentaneum est, in historia colonica Friderici II. primarium tenent locum et praemissi sunt isti coloni, qui juxta exaequantes leges, quibus Poloniae salutem dare Fridericus ipse voluit, viam aperirent. Et re vera vias aequarunt quasi boni cunicularii futuris germanicis posteris saepe de rebus suis decesserunt, interdum inscii, ut majoribus culturae rationibus dediti essent;

praecipue rusticani coloni inprimis rudibus et tamen necessariis laboribus sudarunt, securi et spatha omnes nervos contendentes, ut ibi sedes nobis pararent, quae nunc soli cultura, agrorum ubertate sicut ingenii et animi cultu reliquas Prussiae provincias aequiparant. Si harum coloniarum res gestas accuratius persequamur, hoc jam difficile erit ob locorum difficultates. Ostendit enim apud plerosque colonos turbida agitatio, si domicilium alicubi collocare deberent, tum demum velut aves, saepe diu locum iis assignatum circumvolitantes rursus celeriter avolarunt; iterum ac saepius permutarunt sedes quietas antequam certas invenissent. Id plurimum spectat ad singulos oppidanos colonos, qui animi dotibus ornati, qui putarunt, se jus ac potestatem sedes legendi habere. Aliter res se habet cum illis colonis, qui in societatibus centenariis advenerunt et quamvis singuli ab iis se separassent, universitas tamen inter se cohaerebat, ibique permansit, ubi sedes certae iis assignatae erant; longo itinere jam defatigati toto pectore desiderarerunt, ut sibi et uxoribus liberisque suis sedes certas conciliarent, et ipsi et eorum proles usque ad hunc diem permanserunt, ubi firmiter institerant, dum illae oppidanae aves migrantes pullos artem volandi docebant, qui iterum totam terram oppidatim permearunt. Quis possit volatum incertum eorum sequi? —

Omnis Prussia, a rege „in Prussia", quem titulum Polonica provincia occupata rex sibi attribuit, diversa est in duas partes, orientalem et occidentalem Prussiam. Episcopatus Varmiensis Prussiae orientali est adjectus; terra Culmensis autem et Micheloviensis, Palatinatus Mariaeburgicus et Pomerellia, quae terrae in unum corpus concesserunt et unum praefecturam effecerunt, quae ab oppido Mariana insula „das Marienwerder departement" cognominata est; sed tractus Nezzavius propriam praefecturam, quae „praefectura Bidgostiensis" nominata est, constituit. His duabus praefecturis probi viri praefuerunt, qui semper suo judicio usi sunt et intentissimo studio has provincias curaverunt; unus fuit Domhardus, qui res Prussiae occidentalis administravit et Balthasarius Schoenbergius de Brenkenhoff, Nezzaviensis tractus moderator. Domhardus*) natus erat in vico Alle-

*) Vide Jester: Beiträge zur Kunde Preussens I, Heft 1.

assignatas perhibet.

um.)

	Spt. 81— Ma. 782	—15. Sept. 1782	15. Spt. 1782— 15. Ma. 1783	—15. Sept. 1783	15. Spt. 1783— 15. Ma. 1784	—15. Sept. 1784	15. Spt. 1784— 15. Ma. 1785	—15. Sept. 1785	15. Spt. 1785— 15. Ma. 1786
Conitz	4	—	5	2	1	2	2	2	2
Culm	11	—	22	10	3	4	2	—	—
Graudentz	—	—	9	1	11	1	4	—	—
Neuenburg	—	1	—	—	—	—	—	—	—
Stargard	2	—	—	—	—	—	4	—	3
„vorstadt" Stolzenberg	1	6	—	5	2	1	1	5	4
Schottland	—	1	—	5	—	4	3	5	12
Schidlitz	—	3	—	2	1	2	1	2	1
Christburg	—	—	—	—	1	—	—	—	—
Marienwerder	4	1	2	3	1	3	—	—	14
Elbing	2	13	3	6	6	5	3	5	6
Putzig	1	—	—	—	1	—	1	—	—
D. Eylau	—	1	—	1	—	—	—	1	—
Riesenburg	—	—	—	—	—	—	—	—	—
Marienburg	4	—	9	2	—	—	—	5	—
Dirschau	1	—	—	—	—	—	1	—	—
Culmsee	—	—	1	3	3	2	—	—	—
Gollub	9	—	9	6	8	20	5	—	—
Strassburg	—	—	2	1	—	—	—	—	—
Bischofswerder	1	1	1	—	—	—	—	1	—
St. Albrecht	—	1	—	2	—	—	—	2	—
	40	37	63	49	38	44	23	28	42

Ma

TABULA

quae

colonis in Polon. provinc. ab a. 1772—1786 migrantibus sedes assignatas perhibet.

(Literae, quae adnotatae sunt, spectant ad familiarum numerum.)

	— 15. Sept. 1774.	15. Spt. 1774— 15. Mar. 1775	— 15. Sept. 1775	15. Spt. 1775— 15. Ma. 1776	— 15. Sept. 1776	15. Spt. 1776— 15. Ma. 1777	— 15. Sept. 1777	15. Spt. 1777— 15. Ma. 1778	— 15. Sept. 1778	15. Spt. 1778— 15. Ma. 1779	— 15. Sept. 1779	15. Spt. 1779— 15. Ma. 1780	— 15. Sept. 1780	15. Spt. 1780— 15. Ma. 1781	— 15. Sept. 1781	15. Spt. 1781— 15. Ma. 1782	— 15. Sept. 1782	15. Spt. 1782— 15. Ma. 1783	— 15. Sept. 1783	15. Spt. 1783— 15. Ma. 1784	— 15. Sept. 1784	15. Spt. 1784— 15. Ma. 1785	— 15. Sept. 1785	15. Spt. 1785— 15. Ma. 1786
Conitz	1	—	2	2	—	—	—	—	—	—	—	7	2	1	1	4	—	5	2	1	2	2	2	2
Culm	2	—	8	—	4	2	4	4	3	3	4	—	4	1	—	11	—	22	10	3	4	2	—	—
Graudentz	—	—	1	—	—	—	—	—	—	4	1	—	5	3	4	—	—	9	1	11	1	4	—	—
Neuenburg	2	—	2	1	1	—	—	—	—	1	—	—	—	—	2	—	1	—	—	—	—	—	—	—
Stargard	4	—	1	1	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	2	2	—	—	—	—	—	4	—	3
„vorstadt“ Stolzenberg	—	—	6	—	3	1	—	1	—	—	1	4	—	—	5	1	6	—	5	2	1	1	5	4
Schottland	3	1	4	2	—	4	5	1	—	—	4	2	—	—	6	—	1	—	5	—	4	3	5	12
Schidlitz	—	2	5	1	—	2	1	—	—	—	2	2	—	—	2	—	3	—	2	1	2	1	2	1
Christburg	—	—	2	—	—	2	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—
Marienwerder	1	2	2	3	2	1	3	—	—	—	3	2	—	—	3	4	1	2	3	1	3	—	—	14
Elbing	8	3	—	3	—	2	6	6	4	4	15	4	5	4	19	2	13	3	6	6	5	3	5	6
Putzig	1	—	—	—	1	1	—	1	1	1	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1	—	1	—	—
D. Eylau	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	1	—	1	—	—	—	1	—
Riesenburg	2	—	—	—	1	1	—	—	—	1	1	1	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—
Marienburg	—	1	—	—	—	2	1	—	—	3	—	5	2	1	4	4	—	9	2	—	—	—	5	—
Dirschau	2	—	—	—	—	1	—	2	1	—	—	—	—	—	2	1	—	—	—	—	—	1	—	—
Culmsee	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	3	3	2	—	—	—
Gollub	—	—	—	—	—	—	—	—	—	4	5	1	—	—	2	9	—	9	6	8	20	5	—	—
Strassburg	1	—	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	5	—	—	—	—	2	1	—	—	—	—	—
Bischofswerder	—	2	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1	1	1	—	—	—	—	1	—
St. Albrecht	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	3	—	—	2	—	1	—	2	—	—	—	2	—
	27	11	33	13	13	19	20	17	9	23	36	33	23	12	56	40	37	63	49	38	44	23	28	42

Maxima loca, ut accuratiorem praebeant conspectum, seorsum ab aliis composita sunt.

rode in ducatu Brunsvicensi a. 1712, vir magno ingenio ornatissimus et cogitationum Friderici II. studiosissimus adjutor. Brenkenhofius natus in vico Reideburg prope Halam a. 1723, primum in officio ducis Dessaviensis, tum consiliarius et dominiorum praefectus Friderici regis, vir admodum singularis, quamvis literarum laude haud insignis, meliorationes tamen in Pomerania *) Nova Marchia et in Nezzaviensi tractu magno eventu magnaque prudentia ordinavit. Hi viri ipsi omnes res, quae ad colonias pertinebant, administrarunt in praefecturis suis. Testimonium industriae infatigabilis et assidui studii consiliis ac rationibus regis satis faciundi haec tabula dat, quae nobis indicat omnem Prussiam occidentalem, ut vere dicam, unam magnam esse coloniam. Ea tabula est relatio rerum gestarum in singulos menses composita, quae ad Fridericum de statu coloniarum certo tempore delata est et, ut verba sunt, „eine monatliche Designation über die würklich angesetzten colonisten, ohnfehlbar und ohne säumig zu sein;“ qua de causa in hac tabula est auctoritas. Quae tabula ex archii quod germ. dicimus „geheimes Ministerialarchiv zu Berlin“ actis a me primo composita est.

Vide tabulam, his scriptis additam!

Ex hac tabula 2126 familiae immigraverunt; usque hoc tempus Holschio auctore creditum est, Friderico regnante 1333 familias in Prussiam vocatas esse, quae 6626 capita numerassent; sedis numerus in errore versari videtur. Computemus enim unam familiam ad V capita (i. e. 1333: 6626) circiter 10,500 hominum aestimantur. Tabula igitur satis accurate indicat hominum numerum, qui in provinciam advenerunt, etiam vici et oppida, in quibus advenientes co-

*) In Pomerania: hae coloniae sunt conditae ad Nezzam fluvium, non procul ab oppido Driessen: Neuhaferwiese, Brenkenhofswalde, Franzthal, Neu Schöningsbruch, Schulenwerder, Liependorf, Friedrichshorst, Aarhorst, Neu Anspach, Schartowswalde, Marienthal, Erpach, Erbenswunsch, Neu Dessau, Neubelitz, Brand, Neu Vordamm, Mühlendorf, Neu Ulm, Neu Mecklenburg. — Neu Langsow, Lehmannshoffel, Gehrkenberg Beiersberg, Rehfeld, Sophienthal, Sydowswiese. Istae coloniae constabant ex 1899 familiis quae 3863 capita numerarunt; et opes quas secum portarunt, erant 152995 imperialium, 484 equorum, 1604 boum. Adhuc frequentiores sunt coloniae in palustribus regionibus Warthae fluvii ubi usque ad a. 1776—1796 familiae collocatae sunt, quae ex 7436 hominibus constabant.

loni continuo collocati sunt, sed frustra quaeris in hoc locorum indice narrationem, ubinam multae harum familiarum, quae saepe, ut postea videbimus in praecursorio habitaculo acquiescere erant coactae, postea demum in possessionem recens conditorum vicorum venerunt; itaque hic nomina coloniarum Spital, Wonorze, Slawsk, Olsza non memorantur Item ex hac tabula cognocsi non potest, utrum hic et ille vicus immigrantibus colonia separatim conditus sit, an locus ille, qui immigrantes colonos excepit, jam ab antiquis temporibus extitit. Quae quum ita sint, titulo ac nomine „coloniae“ recens conditi vici designandi sunt, qui ad id constituti erant, ut sedes horum emigrantium hominum essent, et quamvis multis locis in memoriam „Friderici veteris“ revocetur, qui hanc et illam coloniam condidisse dicitur, et majores hic immigrasse ex his et illis remotioribus regionibus incolas perhibeant, perdifficile tamen est, etiam nomina*) sola illarum coloniarum comperiri, quippe quum ii tantum vici, qui ab prima origine firmam communionem ac societatem inter se effecerunt, singulis coloniis in terra dispersis aut collocatis oppositi continuam historiam nobis praebeant. Ex hac tabula jam memorata plerosque colonos, praeter recens conditos vicos oppida Culmia, Grudentia, Argentoratum, Gollub, Szwetze, Chonitza exceperunt; his in oppidis maxime collocatt sunt, qui artificia exercebant.

Culmiae	43	aedificia	opificibus	exstructa	sunt	73233	principalibus.
Grudentiae	3	„	„	„	„	6324	„
Argentorati	2	„	„	„	„	2223	„
Gollubi	5	„	„	„	„	7651	„
Szwetze	4	„	„	„	„	5511	„
Chonitzae	6	„	„	„	„	6783	„
	63					101,925	principalibus.

*) Tabulae praestationum et libri, qui de fundis agunt (grundbücher) satis magnam materiam exhibent, si demum de nominibus coloniarum certiores facti sumus, sed ea fere reticentur, quod sane dolendum est. In hac dissertatione conficienda in rem meam converti tabulas praestationum (praestationstabellen) et libros de fundis, qui in archiis publicis Marianae insulae et Bidgostiae servantur; pleraque acta publica Gedanensia, quum a. 1842 sedes collegii, quod rerum publicarum administrationi praefectum est, incendio deleta esset, perdita sunt et demum ab anno 1795 rursus incipiunt certiores his de rebus relationes.

Praeterea colonicae aedes media in arce Marienburgensi 4000 princip. exstructae sunt. In his aedibus colonis instructis illi non solum satis commoda domicilia invenerunt, sed et officinas necessariis instrumentis opificis instructas. Etiam in oppidis Usz et Budzin quindena domicilia colonica constituta sunt. Sed historiam oppidorum, quae praediximus ideo copiosius enarrare, quoniam intra moenia nonnulla aedificia colonica exstructa sunt, nobis non est propositum, quod proprietas quaedam horum singulorum incolarum inter millia civium quam celerrime a conspectu hominum recessit, ipso in oppido Culmia, quod plerosque colonos excepit. Enarrat „das trauernde Culm“ ex illis 43 novis domiciliis duas novas vias munitas, quarum una via st. Spiritus (heilige geiststrasse), altera via molarum alarum (windmühlenstrasse) appellatur. Coloni ibi collocati fuerunt opifices plerumque tibialium textores, qui e Silesia et Wuertemburgensi ducatu venerant. Summa harum aedium cura, quae in altitudinem duarum contignationum fabricarentur, consiliario bellico de Wisiamski a rege mandata est. Aedificatione confecta Fridericus per omnes recens munitas vias perequitavit, aedificationem oculis perlustrans, a latere regis dom. de Wisiamski equitavit, sed regi, qui minutias quoque curiose investigare solebat, incidit in mentem etiam posticas partes aedium inspicere, etsi consiliarius bellicus studiosissime intendit, ne rex faceret. A parte aversa igitur circum equitans conspicit, aedes quidem a fronte duas contignationes habere, sed ab aversa parte ad unius tantum contignationis altitudinem aedificatas esse — lucrum in suam rem verterat noster consiliarius. Tum iratus rex, fulcro suo commoto, confestim fraudulentum consiliarium male mulcavit jussitque istum abjecta omni cunctatione in castellum Graudentium abduci. Magna pars harum aedium in mirabilem formam exaedificatarum etiam nunc exstat.*) Seminarium

---

*) Oppidum Culmia Friderico Magno hodiernum statum maxime debet. Quum enim oppidum in potestatem regis venisset, sibi tantum conservaverat ex tempore illo antiqui splendoris bene exstructa moenia et magnificas ecclesias, reliqua urbs ex parietinis constabat, sed in viis exstabant fauces cellarum subterranearum sub putridis lignis et frustulis laterum dilabentium domorum, continuae viae constabant tantum ex tabulatis subterraneis, in quibus miseri domestici habitarunt. Ex 40 adibus,

generosae militiae, quod, ut supra jam dictum est, a pecunia illa, quam Mennonitae ob militiae vacationem contulerunt, aedificatum est. Tum aedes privatae, quae in loco nunc temporis seminarii repertae sunt, sine ullo negotio subversae sunt, intercedentibus huic demolitioni habitationibus in aedibus colonicis collocatis. Qua ratione rex magnus saluti singulorum oppidorum consuluerit, hic copiosius exponi non potest. Quae praedicta sunt oppida hujus rei dant optimum

---

quae in magno foro erant, habebant 28 nulla ostia, nulla tecta, nullas fenestras, nullos possessores, oppidum Culmia, sedes Culmensis episcopatus conditum erat a. 1223; oppido datum est 28. Decbr. a. 1232; jus illud fundamentale, quod „privilegium Culmense“ vocatur, vulgo „die kulmische handfeste.“ Insignes sunt mulieres Culmenses, quae alia veste sumpta, latentes oppidum adversus Suantepolcum fortiter defenderunt (Voigt, Gesch. des preuss. staats II, p. 505 et 545). Anno 1387 ibi academia condita est; numerata sunt in oppido 4 monasteria, anno 1776 seminarium generosae militiae 60 alumnis institutum apertum est. Ad opem ferendam civitati Culmensi prope extinctae rex multam pecuniam contulit: ad straturam viarum decreti sunt 2635 imp., ad colonos sublevandos 73235 imp., ad civium habitacula 80,343 imper., ad 15 domicilia destinata ad negotia exercenda 36884 imper., ad restaurandas civium aedes 5106 imp., ad res ecclesiasticas atque scholasticas 11749 imp., ad alia publica instituta 3839 imper. et ad justa, quae iis tributa sunt, qui in moris plantandis operam collocarunt 519 imp., 86 imp. ad alia; omnino in has res erogati sunt 215850 imp. His adjumentis Culmia praeter modum brevi tempore crevit et nunc est satis splendidum oppidum. — Exstructio castelli Grudentini incepta est a. 1776, accepitque oppidum ad colonorum habitationes 6524 imp., ad exstruendam ecclesiam evang. 10021 imp., ad scholam oppidanam 5012 imp., ad 55 civium aedes 54225 imper., ad aedes reficiendas 8805 imp., ad tabernas deversorias 2097 imp., ad alia publica instituta 7841, omnino oppido decreti erant 94645 imp. exceptis pecuniis, quae in exstructionem castelli erogatae sunt. Oppidum Argentoratum rex subvenit 7320 imp., qui collati sunt in VII lapide exstructa civium domicilia (2220 imp.) et in colonorum habitacula (5100 imp.). Oppido Gollub decreti sunt 25255 imp.: ad domum ecclesiasticam 5105 imp., ad VIII habitacula colonorum, ad donum infectivam et coriaviam 8411 imp. et ad molam fullonicam 819 imp. Oppidum Szwetz accepit 10,511 imp.: pannificibus assignati sunt 4000 imp., colonis 5511, ecclesiae evangel. 1000 imp. — Oppido Chonitzae decreti sunt 14744 imperiales, ad colonos sublevandos 6783 imp., ad instituta negotiorum exercendorum 5500 imp., ad tabernas publicas 1500 imp., advaria aedificia civibus destinata 961 imp., — Omnino ad oppidorum commoda a Friderico collali sunt 368325 imp. (cfr. Roscius in libro suo „Westpreussen von 1772—1827. Marienw. 1828).

testimonium, quomodo rex nova oppida curaverit et semper pecuniae numeratae providerit, si aedificationes et aedium restitutiones pecuniam requirebant. Sed antequam ad rusticanas recens conditas colonias pergamus, obiter consideremus solum seu regionem, in qua constitutae sunt, qualis olim fuerit et nunc sit.

Situs Polonicae provinciae felicissimus; alluitur a septentrione mari Balthico, mediam per terram frequenter riguam Vistula seu Vistullus (weichsel) fluit, maximus fluvius, cuiadjacent oppida majora et quod per opportunam facultatem navigationis exercendae habet; amoenissima ac feracissima loca humilia a Thorunio ad mare Balthicum extenduntur. Apud vicum, quid Montau vocatur, Vistula in duo brachia dividitur; quod ad solem orientem fluit et germ. Nogath appellatur, est frequenter riguum et apud Elbingium, vulgo Elbing, iterum in plurima brachia dividitur et in sinum Venedicum, vulgo „das frische Haff" sese effundunt. Brachium, quod ad occidentem vergit et vetus Vistula appellatur, etiam duo brachia habet, quorum unum in sinum Venedicum influit, dum alterum haud procul a Gedano prope Weichselmünde in mare Balthicum defert. Secundaria flumina sunt: Drewencza prope Thorunium, Lieba et nogath prope Mavianam insulam, Braha, qui fluvius in Prussia occidentali oritur, partem tractus Nezzamviensis perfluit et prope Bidgostiam in Vistulam influit, aqua nigra (Schwarzwasser) et verse per Pomerelliam feruntur, illa prope oppidum Szwetz, haec prope Mewe in Vistulam effluunt. Motlau fluvius a Derschovia usque ad Gedanum fluens veterem Vistulam conjungit. Alter major fluvius est Notec seu vulgo „die Netze" qui ex lacu Goplensi exiens per tractum Nezzanum fertur. Hic fluvius magni momenti est, ex quo conjunctus est a Friderico cum Braha et Vistula fluminibus per canalem Bidgostiensem. Prius fluvii satis altae ripae virgultis ac viminibus plane obductae erant. Per canalem illum fluvius ipse navigabilis et fluvii loca palustria culta facta sunt, quae usque ad illum diem propter immensas paludes et silvas inaccessa erant. Ea loca usque ad novam Marchiam in longitudinem XX millaria et in latitudinem dimidiam partem milliarii. Ad utramque Nezzae ripam nunc jacent fertilissima praedia et amoenisima prata,

ubi priori tempore in stagnis et paludibus homines ac pecora misserrime mortem obierunt. De canali Bidgostiensi jam supra dictum est. — Praeter mare Balticum et sinum Venedicum multi lacus mediterranei in Prussia occidentali inveniuntur; sed tamen ab illis 2637 lacubus — lam multos tota Prussia tempore ordinis nonnulli centeni restant. Tota terra campestris est ac plana, quare nomen ipsum Poloniae a vocabulo pole, quod slavonica lingua campum significat, deducitur. Provincia autem est, quae clivis et humilibus regionibus impleta, in mare Balticum desidet. Hic videntur, ut conjectura assequi potest, violentae rerum naturae conversiones locum habuisse. In locis enim editioribus ad ripas Brahae fluminis, res in saxum versae (petrefacten) frequenter reperiuntur, quae a bestiis marinis originem trahunt; non minus succinum invenitur modo in majoribus, modo in minoribus particulis. Etiam in glarea in ejusmodi conversiones in saxum incidimus, quae ab herbis ortae sunt, ut fabae, nuces, aliique fructus neque ossa desunt. In vicinia oppidi Bidgostiae in luteo caput equinum cum collo in saxum conversum inventum esse fertur; nunciatumque est, quum vetus ripa Nezzae fluminis perfoderetur ad viam lapide inter oppida Bidgostiam et Nakel consternendam veterem ancoram navalem repertam esse et dimidiatum milliarium procul a Bidgostia in solem occidentem in effodiendo puteo XX pedes sub planitie opus ligneum detectum esse, quod frumentum ad usum captum adhuc servaret*). Praeterea sunt testes, terram olim mutatam fuisse rerum naturae conversionibus, multi jam dicti, adde elementa terrae et metallica et fossilia, carbonem fuscum (braunkohle) prope ripas Nezzae, prope vicum Wolsko ad veterem alveum Vistulae atque ad ripas fluvii Brahae prope vicum Stopka et oppidulum Fordon. Turfa eximia et multitudine et bonitate multis locis reperitur, fondinae gypseae et calcariae sunt prope Wapno et in palustribus pratis et in silvis, quae ad oppidum Schoenlanke pertinent. Silvis ditissima est provincia praeter Culmensem et Inovladislaviensem (vulgo Inowraclaw) regionem; omnia ge-

---

*) Briefe aus der preussischen provinz Posen in den Grenzboten. jahrgang XXII, 1. semester.

nera arborum exstant, ut ilex pinus maxime reperiuntur. Sed non omnibus terrae partibus eadem est natura et fertilitas. Pomerellia plerumque habet solum arenaceum et multos saltus; et nostris temporibus multa et bona praedia cum insigni agro et amoenissimis pratis. Tractus Mariaeburgensis et humilia loca circa Gedanum et Elbingium sunt nobilissima pinguibus pratis et ager nunc 12 et 14 granum affert, circulo, qui ab oppido Mariana insula denominatur et pauca prata sed multam arenam habet, sunt modici frumenti reditus. Ager Culmensis eadem ratione arenosus nunc habet solum satis aptum ad frumenti culturam; sed hunc tractum lignorum penuria premi jam memoravimus. Dives et opulenta regio, saltem herbosis pratis est tractus Nezzavius solum contra nonnunquam gravem in modum arenaceum lignum abunde reperitur, praeter frumento tam felicissimam Cujaviam, totius provinciae granarium. Sed multis in partibus tractus Nezzavii homines desunt, unde fit ut messis tempore messores ex omnibus regionibus accedere cogantur. — Ceterum res, quae in terra gignuntur fere eaedem sunt, quas Germania septentrionalis gignit. Equariae quidem ob rusticorum paupertatem minus prosperum progressum fecisse videntur sed equorum genera haud dubie nobilitata fuisse; quamvis armenta sint eximia, est tamen quod differat inter pecus cornigerum, quod locis humilibus et quod in editioribus locis pabulatur. Illud genus ex Frisia ortum, in Prussiam translatum fuisse dicitur, quum primo Belgae in hanc terram immigrassent. Erant autem plerique incolae humilium locorum coloni Belgae et Batavi. — Sed vix credendum est, quantae pecuniae in illis lacubus paludibus fluminibus delitescant; piscatus per se est res parvi momenti, terra autem aquae fluctibus erepta meliorem fructum retulit utpote qui jam in una huba tota familia sustentari potest. Iam hac re, ut exemplum in medium proferam, quod lacus Goplensis nonnullos pedes est depressus, adjacentes agri privati possessores modico tantum pretio soluto plures centenas hubas optimi pabuli pratensis sibi quaesiverunt; sed ex lacubus depressioribus aquam emittere difficilius est, et si ex altius sitis aqua deducenda est, omnia ad rectam aquae librationem referenda erunt per aggeres interscindendos. At vero maxima difficultas posita

est in reclamatione eorum, qui hujus rei participes sunt. Minus difficilior est cultura palustrium, quae ope fossae deducendae efficitur. Hac re et quia minores fluvii facti sunt fluentes, qui antea lapsu carebant, factum est, ut Nezzae poludes nunc ad agriculturam idoneae sint, sed quidem hoc tempore nonnullas eorum quidam fundorum possessores iterum aqua inundaverunt. Etiam silvae, quae miserrime devastatae erant, prudentibus legibus de rebus silvaticis denuo efflorescebant. Novae dimensiones factae sunt, saltus in singulas partes et sepimenta silvae caedendae divisi sunt, leges saltuenses, quae ad tutelam et usum silvarum pertinebant, datae sunt, lignorum venditio decretis constituta est; haec omnia erant optima tutamenta in futuras silvarum devastationes. Haec est brevis descriptio soli provinciae.

Ex iis autem, quae jam diximus, levi conjectura assequi potest, quanti et qualis labores a colonis suscepti sint, ut veteres illas horridas et incultas regiones in meliorem culturae statum redigere possent. Itaque Fridericus ad constituendas colonias locorum opportuna sibi quaesivit, et in arenoso solo regionis prope Marianam insulam ut in palustribus tractus Nezzaviani pleraeque coloniae reperiuntur. In episcopatu Varmiensi vetere cultura jam florente majores co loniae ostendi non possunt, paucae exstant circa Gedanum, sed prope Culmiam et Gniewkoniam, quasi custodes finibus tuendis impositi et praeter Nezzam flumen pleraeque coloniae sunt collocatae. Inprimis exile et macrum solum colonis exquisitum est, ut ex eo sibi atque utilitati culturae divitem et opulentam terram pararent. Inter majores colonias a Friderico ipso probabiliter constitutas, quae in tabulis praestationum (praestationstabellen) et in libris, qui de fundis tractant (grundbücher) non semper coloniae vocantur, dum saepe exaedificatio singuli aedificii, quam ullus praedii possessor instituit, hoc titulo ornatur, hae commemorandae sunt:

Coloniae circa Gedanum:

Schiwialken.
Gardczau.
Klempin.
Klein Trampken.
Gross Boesendorf.
Gross Succzyn.

Coloniae prope Culmiam:

Klein Czyste.
Brosowo.
Zegartowitz.
Bielczynny.
Skompe.
Chrapice.
Struzfon.
Dombrocken.
Kamionken.
Bielsk.
(Dworzysko).
Trzebsz.

Coloniae in tractu Nezzavio:

Klein Murzynno.
Spital.
Wonorze.
Stodolly.
(Gr. Slawsk).
Klein Slawsk.
Ciechrs.
Krusza Duchowna.
Friedrichshorst.
Mieruczin.
Parlinek.
Olsza.
Szczubinek.
„canalcolonien“ A, B, C.
Cegielnia.
Trzeciewiec.
Althoff.
Sadtke.
Romannshof.
Raczyn.
Nalentz.
Schulitzer „schlosshollände-reien.“

Minores coloniae tractus Nezzavii postea commemorabuntur. De usu nominis „coloniae“ magna est confusio. Vici, qui in notis copiosius indicantur, memorantur et in Bidgostiensi praefectura hominibus, partim Friderico II partim ab ejus successoribus, partim et maxima ea parte, a privatis hominibus constituti sunt *), quam rem libri jam praedicti

*) Ut plene perficiam, quid mihi propositum sit, sequantur coloniarum nomina, quae plerumque merito ac jure non vocantur coloniae: In regione, quae ex nomine Marianae insula vocatur „Marienw. Departem.“: (1859) Abran, Adolphshoff, Albrechtau, Altmark, Antoniendorf, Antoniavo, Arndtsdorf, Arnsfelde, Oberausmaass, Balan, Babenz, Bärenwinkel, Bagniewo, Besnice, Clessawen, Brinsk, Broslauerkämpe, Brosowo, Bewzkowo, Budziska, Düssen, Carlstorff, Compagnie, Czewnislass, Keil Drahbrow, Busch Drahbrow, Bubielno, Dworzenice, Eilenhorst, Eichsfelde, Eisenau, Elsenau, Friedrichsbruch, Glodwo, Glückauf, Neu Glumen, Grabowagurca, Hintersee, Hutta, Jastrzembka, Jascz, Jassinitz, Johannisthal, Neu Josephsberg, Juncza, Neu Jwitz, Kalisken, Kaliska, Katscherkämpe, Kelpin, Neu Klunckwitz, Kolnik, Konefka, Lossowo, Kotzenberg, Neu Laskowitz, Lassek, Lony, Deutsch Lonk, Luban, Lubcza, Lubiask, Maronowo, Mittelhütte, Mnigatz, Modrzejewsky, Moorbruch, Mossna, Nalenz, Neudorf, Neusorge, Nicolausdorf, Gr. u. Kl. Ossowo, Ostrowo, Unter

(praestationstabellen et urkundenb. et alia acta publica) copiosius persequuntur. Ceterum illae coloniae a Friderico succedentibus Prussiae regibus constitutae, alienigenis non amplius collocatae non sunt, quapropter arctiore tantum significatione coloniae appellari possunt.

Frequenter in libris in vocabulum „Holländereien“ incidimus, quod in Polonicis provinciis partim re et nomine possesiones seu Hollandorum colonias significat, quae jam temporibus ordinis Teutonici aut seriore aevo constitutae sunt, partim et maximam quidem partem hoc vocabulo coloniae significantur, quarum conditores Hollandi minime fuerunt. Qua de causa multi putaverunt, nomen „hollaenderei“ plerumque corruptum esse, neque ab Hollandis sed ab istis hominibus, quibus priori aut posteriori tempore negotium erat ut silvas caederent deducendem esse, et ex mala intellecta voce Teutonica „hauland“ holland, holländerei originem suam traxisse. Verum est, nonnullos colonos interdum coactos esse, densas silvas collucare, sed constat quoque illos homines modo sociandae catervae, quae est composita ex ligna caedentibus non occupatos esse, nec ab omnibus colonis, qui in sermone populi Hollandici vocantur, ostendi potest, eos in terram invitatos esse, aut se solis silvis caedendes occupasse. Sin au-

---

Ostrowitt, Neu Ossussnica, Popiagorra, Neu Prochnow, Przin, Przyasn, Redzitz, Rehlberg, Rissewo, Rosenkranz, Rybno, Ruhenthal, Rczepitzno, Santovzna, Saroske, Schoenwalde, Smolnik, Stenzlau, Szenika, Teschwoko, Theolog, Topolka, Treue, Tuschin, Kl. Untersberg, Kl. Warenbin, Wenglasken, Wilhelmshuld, Wondole, Zakrzewiske, Zancgsko, Zawadda, Zomschütz.

In regione Bidgostiensi (Bromb. depart.): (1818) Belitz, Czynkowka, Schröttersdorf, Prondy, Schleusen, Trzeciewiec, Friedrichshorst, Birkenbruch, Stickwerder, Sadtke, Netzeorf, Ostrowiec, Polichno, Kunkolewo, Aschenforth, Adolpstein, Rudka, Wymslowo, Zachasberg, Buschkowo, Karkzewnick, Christinchen, Pauer, Cieschen, Lippe, Lindenwerder, Athanasienhof, Raczyn, Nabiza, Heliodonowo, Josefowo, Radolin, Theresia, Jaegersburg, Marienbruch, Gornitz, Buchwerder, Sophienberg, Romanshof, Josefowo, Georgendorf, Olsza, Mieruvzin, Parlin, Wgiaslowo, Neu Sadowiec, Alt Sad., Morhardsberg, Ulrichsthal, Sturmhof, Golzbki, Springberg, Molski, Ascherbuden, Oborka, Braunsfeld, Budzitowo, Morst, Suchatowska, Urpisz, Murzynnek, Parchanie, Wonorze, Spytal, Sikonowo, Louisenfelde, Kruszuduchowna, Bachorze, Chelmie, Weostowo, Krummknie, Kl. Slawsk, Stodolly, Cienkisko, Ciechrs, Gr. Slawsk.

tem consideres, primos colonos, qui in Prussiam venerunt plerumque Hollandos fuisse et hoc nomen populi memoriae traditum communi in usu esse etiam hoc vocabulum ad omnes peregrinos serioris aevi translatum fuisse, utrum Hollanda an Wuertemberga eorum patria esset, haud mirum videbitur. Quae quum ita sint, isti homines, qui vulgo Hollandi appellantur non orti sunt ex Hollandia sed iis a populo hoc nomen casu et fortuito inditum est et conjectura „hauländer" opus non est. Eadem injuria, qua multitudo incolarum evangelicae fidei addicta his recens immigrantibus commune nomen ex terra patria desumptum tribuit, magna pars et impolitorum et politorum catholicorum eosdem colonos „Mannistas" appellavit. Recordans igitur multos primorum immigrantium Mennonitas fuisse — quae res, catholicismo multo gravior et impressior in animum fuit, quam quod isti homines fortuito ex Hollandia oriundi erant — catholica frequentia recens immigrantes etiam nunc hoc vocabulo ecclesiastico mannistas nuncupat. Injuria quidem, ut etiam diximus et nulla conjectura eget. Satis est cognovisse, utrumque vocabulum Hollandus et Mannistas non recte adhibitum esse.

Majori jure, licet etiam hic falsa verborum interpretatio frequenter apparet, multi, inprimis majores inter se conjuncti pagi „Suevici" (schwäbisch) denominantur. Haud enim infitiandum est plerosque catervatim collocatos colonos ex Suevica seu Wuertembergensi ducatu venisse sed ad eos infra retrahimur, quum quasi veri et Germani vicarii colonorum habendi sint. At ipsi hi coloni non semper Suevici repeperiuntur, nam Megalopolis (germ. Mecklenburg) et Alsatia colonos suos miserunt, sed illi ob ingentem Suevorum numerum a memoria hominum fere recesserunt, ac populos suo jure eos diversos colonos ut membra socianda ejusdem generis, inter se conjuxit. Sed tamen multis locis in omnium hominum mentibus et sermonibus memoria viget, ut avi cum parentibus ad modum parvulis, qui cum Suevis advenissent non „ex regno" (aus dem reich), sed ex alio climate adventassent.

Videamus igitur accuratius, quae urbs, qui vici, quae climata Friderico nostro novos homines praebuerint, et ad-

miratione quadam afficiemur, quod florilegium, (venia sit verbo) in ea provincia Polonica habitum sit, et adhuc gravius commovebimur, si perspexerimus, quomodo istae plantae, in speciem saepe inutiles, nutrita atque curata sint, ut bonas fruges proferrent.

TABULA

ex qua

loca intelliguntur, ex quibus coloni in Polon. prov. Friderico II regnante migraverint.

(Nomina locorum, quam potui, ex migrationum tempore ordinavi.)

Terrae.	1772—1780.	familiae.
Ex non germ. terris	Carlskrone, Dänemark 5, Italien 2, Curland, Amsterdam, Holland, Frankreich, Zürich, Ungarn.	14
Ex Germania	Kiel, Zitten, Mecklenburg 62, Mecklenburg-Schwerin, Laubenbach in Baiern, Elsass, Ipsheim, Wien, Pfalz 5, Sachsen (Voigtland, Frauenhahn, Leipzig) 75, Schweinfurth 4, Anspach 6, Baireuth 6, Hamburg, Lübeck, Bremen 6, Ollmütz, Usedom, ex terris Dittenburgicis, Wetterau, Passenheim, Tyrol 2, Pommern 2, Mansfeld, Hessen-Homburg, Lüneburg, Trier 6, Bamberg, Braunschweig 4, Marbach, Westphalen, ex terris Lüneburg. Nürnberg 2, Erlangen, Innland 2, Schwarzwald, Neustadt 2, Hessen-Cassel, Meiningen, Voigtland, Stralsund, Marienburg 2, Böhmen 4, Zerbst, Merseburg, Weimar, Zeitz, Teschen, Mannheim, Hessen-Darmstadt 3, Cöln, Churpfalz, „Derschau", (Dirschau), Weissenfels, Lausnitz, Anhalt-Bernburg 2, Thüringen, Wittenberg, Mainz 3, Bamberg 2, Mähren 2, Koethen, Hannover, Eisenach, Baiern, grafsch. Sickingen, Eichstaedt.	247
inprimis ex Suevica terra	Schwaben 6, Zwingenberg, „aus dem reich" 8.	15
ex Polonia	Thorn 21, Lissa, Warschau, Trobin, Danzig, Fraustadt et Craucau 296.	318
	7 ex terris haud inditis.	7
		601

1780.

Ex non germ. terris	Venedig, Petersburg, Warschau 2, Russland,	5
Ex Germania	Sachsen 6, Speier, Prag 2, Beireuth, Edingen, Weissenfels, Anspach, Böhmen, Rosenberg, Mähren, Mecklenburg 2, Schwabach 2, Badendurlach, Dessau, Schwarzwald, Erlangen, Thüringen, Pfalz.	26
inprimis ex Suevic. terra	2	2
ex Polonia	25. Danzig 4, Thorn 3.	32
Literae, quae adnotatae sunt, spectant ad familiarum numerum; quae si desunt una familia intelligenda est.		65

Terrae. **1780—1781.**

Ex non germ. terris	Russland.	1
Ex Germania	Sachsen 6, Muckenburg, Prag, Dessau 2, Schwarzwald, Erlangen, Thüringen, Pfalz, Hessen-Darmstadt 2, Tyrol.	17
inpr. ex Suev. terra		
ex Polonia	34. Danzig 7.	41
		59

1781.

Ex non germ. terris	Curland, Dänemark, Schweden.	3
Ex Germania	Sachsen 10, Baireuth, Mecklenburg 15, Badendurlach 12, Pfalz 4, Dessau 3, Hessen-Cassel, Darmstadt, Braunschweig, Oestreich 2, Churpfaltz, Frankenthai, Kuben (?Guben) Hessen, Zweibrücken, Mainz.	67
inpr. ex Suev. terra	148. Reutlingen.	149
ex Polonia	24. Danzig 29.	53
		272

1781—1782.

Ex non germ. terris	Schweden.	1
Ex Germania.	Sachsen 5, Baireuth, Anspach, Badendurlach 11, Mainz, Oestreich 2, Elsass, Lothringen, Cöln, Hannover, Bremen, Nürnberg, Hamburg.	28
inprim. ex Suev. t.	21. Reutlingen, Schwaben.	23
ex Polonia	5. Danzig 13, Thorn.	19
		71

1782.

Ex germanica	Sachsen 7, Baireuth, Mecklenburg 11, Badendurlach 5, Dessau, Mannheim 2, Voigtland, Greifswalde, Franken, Bayern 2, Braunschweig, Hessen, Churpfalz 24, Mainz.	59
inpr. ex Suev. terra	256.	256
ex Polonia	6. Danzig 17.	23
		338

1782—1783.

Ex non germ. terris	Schweden, Lievland, Ukraine, Ungarn.	4
Ex Germania	Mecklenburg 2, Sachsen 8, Hamburg, Hessen, Mainz, Anspach 3, Landshut, Anhalt-Coethen, Lothringen.	19
inpr. ex Suev. terra	60.	60
ex Polonia	15. Danzig 8, Thorn 3.	26
		109

1783.

Ex non germ. terris	Curland, Schweden 2, Riga, England.	5
Ex Germania	Sachsen 10, Mecklenbnrg, Franken, Anspach, ex terris Isenburg 3, Neuenburg, Böhmen 2, Prag, Zweibrücken, Dresden, Culm, Hessen, Curmainz, Helmstaedt, Nürnberg.	27
inpr. ex Suev. terra	65 „aus dem reich."	66
ex Polonia	24 Danzig 10, Thorn 3.	37
		135

1783—1784.

Ex non germ. terris	Curland, Littauen, Dänemark, Italien.	4
Ex Germania	Anspach 2, Mecklenburg 4, Baireuth, Schwarzwald, Mähren, Anhalt-Coethen 42, Jaegerndorf, Cursachsen, Sachsen 5, Wolffenbüttel, Voigtland 4, Pfalz 2, Dessau, Bremen.	27
inpr. ex Suev. terra	4. Ulm, „Yssenberg“ (Isenberg?)	6
ex Polonia	Danzig 14, 12.	26
		63

1784.

Ex non germ. terris	Curland, Altona, Dänemark.	3
Ex Germania	Anspach, Mecklenburg, Baireuth 2, Mähren, Sachsen 3, Bierstein 6, Frankfurt a. M., Hessen, Darmstadt, Zelle, Prag, Zweibrücken 5, Franken, Grumbach, Curpfalz, Frankf. a. M. 2, Oestreich, Isenburg 7. Altenburg, Darmstadt, Mecklenbg.-Schwerin, Strahlsund 2, Mecklenbg.-Strelitz 2, Rothenburg, Cobrg., Wittenberg, ex terris Stolberg 13.	60
inpr. ex Suev. terr.	23. Schwaben.	24
ex Polonia	Danzig 9, 18; Gnesen, Thorn. — 1 ex terra haudindit.	30
		117

1784—1785.

Ex non germ. terr.	England.	1
Ex Germania	Baireuth 2, Sachsen 3, Zweibrücken 2, ex terr. Altenburg 6, ex terr. Stolberg, Lichtenstein, Heidelberg, Lübeck, Böhmen 3, Basel, Geldern, Nassau, Saarbrück, Badendurlach, Ostenberg (?).	26
inpr. ex Suev. terra	9	9
ex Polonia	Danzig 11; 3.	19
		55

1785.

Ex non germ. terris	Frankreich.	1
Ex Germania	Anspach, Sachsen 4, Zweibrücken 3, Elbing, Graudentz, Heilbron, Pfalz 3, Ellern, Hamburg, Solm 3, Weilburg, Münchholzhausen, Scharpau 3, Hessen 8, Aulenbach, Churpfalz 14, Heintzenbusch 4, Hochstaedt, Badendurlach 5, Braunfels 3, Marienburg 2, Hanau.	64
inpr. ez Suev. terra	4	4
ex Polonia	Danzig 16; 6.	22
		91

1785—1786 (incl.)

Ex non germ. terris	Russland, Dänemark.	2
Ex Germania	Mecklenburg, Sachsen 16, Oestreich, Würzburg, Sachsen-Gotha, Dessau 2, Lüneburg 4, Hannover, Anspach, Hessen, Darmstadt, Braunfels, Oberlausitz, Nassau, Weilburg, Hamburg, Rheinau, Hackenburg 3, Pfalz, Lübeck, Mainz 3, Curpfalz 10, Baireuth, Stolherg, Ober-Schlesien, Hessen-Cassel.	58
inpr. ex Suev. terra	13	13
ex Polonia	Danzig 16, 30.	46
		119

summa: fam. 2085
i. e. cap. 10425

Hac in tabula 2085 enumerantur peregrini coloni, prior tabula 2126 indicat, quae differentia tamen fere nulla est. Gedanum oppidum, quod tum temporis Poloniae regi parebat, plerosque colonos, si cum ceteris comparaveris, supra 160 familias nobis reliquit; sequitur Suevia, exigua terra, cum proba caterva numero ad 625 familias, tum Polonia cum 691 familiis, Germania cum 717, praeterea 44 fam., quae ex aliis ad Germaniam non pertinentibus venerunt. Polonicum et inprimis civitates Gedanum atque Thorunium, tum multos novosque cives Friderico attribuisse, non mirum est. Res utriusque civitatis non erant invidendae. Praeterea multi Gedanenses intima familiaritate cum iis conjuncti erant, qui nunc Friderico regi parebant. Mercatura Polonica tandem per Judaeos, quos rex, ut jam demonstratum est, ad hanc causam in suburbiis Gedani collocaret, ita attrita atque exhausta erat, ut multi, maximeque negotiatores ad patriam relinquendam cogerentur. Ita Fridericus destinata exsequutus est certe prosperis successubus consiliorum suorum leniter arrisit. Ceterum postea quum Gedanensibus adhuc fortiter bellatum est. Horum colonorum partitio ex priore tabella fere cognoscitur, facta enim est ita, ut Suevi, qui quasi parva populorum constituerunt et in varias catervas divisi junctim adventaverunt, plerumque non dissociarentur, sed in novis propinquis coliniis catervatim collocarentur. Praeter hos colonos non omittendi sunt operae, qui mercede conducti ad magnas aedificationes exstruendas, ex. c. ad fossam Bidgostieniem aedificandam ex aliis terris, ex Saxonia, Bohoemia, Ascania etc. arcessiti sunt. His aedificationibus confectis operae cum familiis suis in Prussia remanserunt, aut si morbis perierant, quos gravibus laboribus sibi contraxerunt, relictae eorum uxores ac liberi amoveri non poterant. De locandis viduis et pupillis Brenkenhofius, vir laude dignissimus, optime meruit. His operis coloniae prope canalem Bidgostiessem A, B, C, frequentatae sunt, quibus negotium erat mandatum, ut canalem curarent. Illi operae postea prae ceteris colonis, majori industria et peritia operum manuariorum et rusticanorum se excelluerunt. Fridericus in tanta sua voluntate peregrinos in terram invitare et cum his Prussiam copiosiorem et celebriorem reddere, haud dubie eogitavit, de

eventis, quae ex simili agendi ratione, quam majores sui magna cum prosperitate ingressi sunt, consequuta erant. Fridericus Guilelmus Marchiae Brandenburgensis elector magnus ejusque successores Francogallicos Christianos, fidei causa exterminatos benigne exceperunt, quibus illi pro his meritis maximas gratias postea retulerunt, diligentia inducenda industria, quae usque ad hunc diem apud nos fere incognita erat, exemplis morum, ordinis atque modestiae. Homines ejusdem generis fuerunt coloni ex Palatinatu orti et Salisburgienses, qui initio saeculi XVIII Prussiae regiones, pestilentia plane devastatas frequentaverunt. Illi erant politi atque honesti homines, qui ingenuo animo ducti potius patriam reliquerunt, quam ut de summno suo bono, sacrorum libertate decessissent. Iidem non inopes fuerunt, unde factum est, ut sumptus necessarios, qui iis a rege suppeditabantur, mox resarcirent. Coloni qui tum agebant, ejusmodi generis non fuerunt; saepe erant homines, in quos nomen „temere fortunae se committentes" (abenteurer) non quadrat, illa enim facultas et peritia hominum, qui hoc nomen sibi vindicant, iis omnino deerant. Saepe dissoluti ac perditi homines, qui putarent, se in Prussia laute vivere et sibi indulgere posse, quippe qui illuc a rege hujus regni studiosissime essent invitati. Domi, in patria sua vix adhuc licuit iis esse otiosis, quapropter hoc commodius in Prussia iis eventurum opinati sunt. Falsa oppinione adducti, se modo terrae frequentandae causa vocatos esse, in Prussiam venerunt. Sed haec opinio iis mox epulsa est, nam in terram adventantes, quamvis omnia ad eos recipiendos commodissime apparata essent, multa tamen praeter spem acciderunt. Cognoscentes molestissimos labores ac sudorem moventes hic agi, prima occasione oblata aufugerunt. Friderico huic desertioni iratissimo, ea quam fieri potuit est occultata, sed tamen in tabulis 161 fugitivi enumerantur. Quin adeo singularis sors est parata ad hujusce modi fugitivos reducendos et credendum est, haec studia non vana fuisse. Jam mense Februario a. 1775 Fridericus scripsit „dass die sich etablirten bürger nicht heimlich entlaufen mögen, sei so viel als möglich von dem commisariés locorum und besonders den Magistraten zu verhüten, von denen, so aber aller précaution ohngeachtet dennoch entlaufen, ist eben unter der rubrique der remarquen anzuzeigen, von was für profession sie gewesen und aus welchen Ursachen sie entlaufen und ob selbige, wenn sie ihre Kinder mit genommen, nicht wieder zurückzubringen sein würden." Etiam accidit, aut isti fugitivi iterum reciperentur coloni, ac nova viatica acciperant. Sin autem fundus fuga prioris inquitini vacua erat, primo cuique homini, an colonus esset necne, assignatus est, ac proditum est fundos repertos esse, qui jam quartum dominum peregrinum hospitio exciperent. Itaque factum

est, ut regem saepenumero graviter accusarent, quod homines ejus modi in Prussiam invitasset, quod colonias indigenis non frequentasset, adolescentibus rusticorum et opificum, quorum parentes plerumque ad extremum inopiae venissent, aut filiis eorum, qui in exteris terris mercede data milites facti essent, quia inprimis hi ultimi, quod supra quam credibile esset, postea opificium patrum sibi elegissent et sic grave onus supplementi sublevassent. Haec sententia, inprimis ultima verba, quamvis audacissima esse videatur, fingas quoque veram esse, dubitationem tamen nobis affert, an horum militum numerus respondisset cogitationibus, quas Fridericus de coloniis habebat, etiamsi praeter hos filii opificum, nisi opificium patrum, ut veresimile est, sibi elegissent Polonicum agrum colere coacti essent. Ceterum eventus docuit, ut mox videbimus, regem recte vereque judicasse. Rex enim gravis magister ergastuli erat, et ex indigenis, qui expectationi respondebant bonos probabilesque homines patriae educere, istud quidem nihil negotii est, sed hoc est artis, confluxae atque inordinatae turbae, ut indomito equo frenos injicere eumque fingere viam ire, qua domitor jubeat.

Ceterum interest aliquid inter colonos qui priore atque posteriore tempore adventarunt, illi, confluxae catervae, quum vidissent vitam otiosam, quam expectaverunt, somnium esse, quam celerrime aufugerunt recurrendo, in silvas Polonicas, aut in alia latibula, sedes eorum hominum improborum et si quidem nonnulli reliquerint in Prussia, haec faex populi erat pigra, proterva, turpis, insatiabilis, tractu difficilis. Qui autem posteriore tempore appropinquarunt, maxime Wuertembergenses, cauti et diffidentes homines diu morati sunt usque tandem confisi sunt, et omnibus accurate examinatis ac diligenter consideratis saepe vicatim et pagatim cum uxoribus liberisque et cum bonis fortunisque suis proficiscentes, alii vestibus solemnibus induti alii maxima miseria affecti, in Prussiam venerunt. Ii erant sani ac robusti homines, ii erant homines antiqua Germanica virtute et fide, quos Fridericus suae Polonicae provinciae avide exoptaverat; iis igitur in Prussia occidentali aditus libentissime datus est. Ii sunt homines, qui etiam hodie in posteris generibus coloni habiti sunt, dum reliqua multitudo immigrantium ut paleae immistae frumentis vento separantur, quoquoversus ita dissiparetur, ut ne flocci quidem reperiantur.

De his autem colonis Suevicis alio tempore dicamus.



THESES.

I.

Henricum Leonem recte dixisse, Romanorum regnum occidentale non anno quadringetesimo septuagesimo sexto, sed a. quadr. octogesimo interiisse.

II.

„Vitam Henrici IV" Salii non Otbertum Leodiensem ex Goldastii opinione, sed Moguntinum quendam scripsisse.

III.

Tacitum de Tiberio nonnullis locis injuste judicasse.

IV.

Statuam Veneris Meliae una cum Are, quem nunc falso Achillem esse contendunt, cujus exemplum quoddam in musei Berolinensis „porticu Niobeo" exstat, olim conjunctam fuisse.

V.

Aulam Heorot in eo carmine, quod Beowulf inscribitur, quadrata forma fuisse, non oblonga, qua quidem veteres gentes septentrionem habitantes, uterentur.

